



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur  
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

Qvæstio XXIII. In Tit. XXIII. De Præsumptionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)



## QVÆSTIO XXIII.

### IN TIT. XXIII. DE PRÆSUMPTIO- NIBUS.

1922. **Q**uoniam in judiciis perfre-  
quenter contingit, quæstionem agitari  
circa materiam difficilis probationis,  
vel quòd contingat in occulto, ac dif-  
ficulter ex effectu aliquo deprehendi  
potest; solum consistat in animo, aut  
actitata sit inter duos, nullo præsen-  
te, adeoque nec testibus, nec instrumen-  
tis, aut scripturis probari possit; in de-  
fectum ejusmodi mediorum, venien-  
di in notitiam veritatis, in qua Judex  
fundare possit sententiam pro una,  
contra partem alteram, recurritur ad  
præsumptiones, seu conjecturas, quæ  
scilicet capiuntur ex quibusdam *indi-  
ciis, suadentibus rem sic esse, vel non es-  
se*, prout in judicio ab hac vel illa parte  
asseritur. De his igitur conjecturis,  
quæ suam quoque vim probandi obti-  
neant in judicio, agitur *h. t.* postquam  
de duabus præcipuis probationum  
speciebus, quæ habentur à fide Testi-  
um, & Instrumentorum, in præceden-  
tibus actum est.

#### ARTICULUS I

*Quid, & quotuplex sit præsumptio?*

1923. **P**ræsumptio, prout hic accipitur, est  
*rationabilis credulitas, & fides, seu  
conjectura rei dubiæ, quæ sita, seu desum-  
pta ex quibusdam signis, & indiciis, qui-  
bus stantibus communiter contingit rem  
aliquam esse aut non esse, cujus veritas in-  
vestigatur; nam præsumere, ut notat Pe-  
reyra in Elucidario n. 1250. sumitur pro  
prælagire, conjicere, vel divinare ali-  
quid in dubio. Hinc Oldendorpius ap-  
ud eundem loc. cit. eam definit, quòd  
sit conjectura, seu divinatio in rebus  
dubiis, per rerum circumstantias fre-  
quenter evenientibus.*

1924. *Præsumptio alia est hominis, alia ju-*

*ris; præsumptio hominis est, cum  
præsumitur aliquid contra hominem  
propter malam famam, quin firmata  
sit juris, aut legum comprobatione;  
sic Pereyra cit. n. 1253. quando autem a-  
liqua præsumptio est à legibus, & jure  
approbata, dicitur præsumptio juris;  
ex quo patet discrimen inter præsum-  
ptionem hominis, & juris; & quoni-  
am propter nimiam circumstantia-  
rum copiam, ob quas præsumptio ho-  
minis non adeò firma esse potest; nec  
à jure, vel legibus comprobari potuit,  
communiter ea relinquitur arbitrio  
discreti Judicis; patiturque probatio-  
nem in contrarium ab eo, contra quem  
præsumitur.*

1925. *Præsumptio juris alia est talis sim-  
pliciter, seu juris tantum, alia juris &  
de jure; hæc, est dispositio legis aliquid  
præsumentis, seu conjecturantis, &  
super tali præsumptio aliquid statuen-  
tis, ita, ut regulariter non audiat vo-  
lentem probare contrarium: unde vo-  
catur etiam præsumptio necessaria,  
quia inducit & probationem, & Ju-  
dicem ad pronuntiandum propter  
magnam vim, & apparentiam veri  
super illo, quod ex talibus indiciis  
conjecturatur. Hinc dicitur juris, &  
de jure; juris quidem, quia jus præ-  
sumit; de jure; quia vehementer  
præsumit, sic esse, vel non esse; & pro-  
pter talem præsumptionem jus statuit  
super ea, v. g. si quis contraxit cum  
quodam de futuro, & postea eam co-  
gnoverit, præsumitur affectu maritali  
in eam consensisse, c. is, qui, de spons.  
Præsumptio juris simpliciter, seu juris  
tantum, est dispositio aliquid præsu-  
mentis, seu conjecturantis, esse, vel  
non esse, ut exinde gravetur, is, con-  
tra quem præsumitur, & teneatur, si  
ab*



abea se liberare velit, probare contrarium; præsumpto cæteroquin habendo pro veritate.

1926. Exemplum præsumptionis juris & de jure habetur in *c. Is, qui 30. de sponsalib.* ubi inter sponsos de futuro secutâ copulâ jus tam vehementer præsumit consensum conjugalem, & non fornicarium, ut statuerit omnino non amplius pendere consensum conjugalem de futuro dandum, sed jam de præfenti datum; nec audiat regulariter contrarium probare volentem; Verba canonis sunt: *is, qui fidem dedit M. mulieri super matrimonio contrahendo, carnali copulâ subsecutâ, si in facie Ecclesiæ ducat aliam, & cognoscat, ad primam redire tenetur: quia licet præsumptum primum matrimonium videatur, contra præsumptionem tamen hujusmodi non est probatio admittenda.* Ex quo sequitur, quod nec verum, nec aliquod censetur matrimonium, quod de facto est postmodum subsecutum. Exemplum præsumptionis juris tantum habetur *c. quia verisimile 10. h. t.* ubi, cum ageretur de commutatione Patronatus in Ecclesia cum Vicaria ejusdem Ecclesiæ, inter Presbyterum H. & Capellanum R. jus præsumit *non facta*, quia vix contingit, nec verosimile est, quod ille huic personatum pro Vicaria dederit, sine Simonia, seu interventu pretii; adeoque statuit, ut Judex delegatus probationes non recipiat pro commutatione ad elidendam eam præsumptionem, nisi valde potentes, ex communi fama, & testibus, omni exceptione majoribus.

1927. Præter hæc nota, præsumptionem ulterius dividi in temerariam, probabilem, violentam, & necessariam; hanc exposuimus *num. 1925. Temeraria* est, quæ surgit à malis hominibus, & ex levibus causis; puta, si videatur aliquis vel semel cum aliqua conversari, & statim sinistri quidpiam suspi-

Tom. II.

cetur: cum tamen dubia in meliorem partem sint interpretanda, *c. 2. de reg. juris: Probabilis*, (alio nomine *universalis*) dicitur præsumptio Judicis; surgit multis ex causis, & illi statuit, donec contrarium probetur; ut, si res sit patris, præsumitur hæredis esse. Item quod detur potius error juris, quàm dolus malus. Et hæc ante probationem contrarii facit semiplenam probationem; & inducit purgationem, maximè famâ crebrescente, *c. si quis, de purgat. canon.*

*Violenta est*, quæ confurgit ex verisimili probatione, & dicitur præsumptio juris, quando jus præsumit ita esse: puta, si apparet chirographum cancellatum, præsumit debitorem liberatum, *L. Si chirographum, ff. de probat.* Item præsumit, quod quis cognoverit uxorem, cum qua diu habitavit. Item, si quis inventus sit nudus cum nuda, & solus cum sola in lecto jacens, præsumitur, quod sint fornicati, *c. literis, de præsumpt.* Item si quis denuntiet alicui, ne cum sua uxore loquatur, & postmodum invenit eum cum illa loquentem, potest illum Judici tradere puniendum, quia violentissima præsumpto est, quod impudicè loquatur; Authent. *si quis ei, C. de adult. 22.*

Not. 2. præsumptionem *facti*, aliam esse *precedentis circa futura*; ut, si semel calumniatus es contra me, & iterum velis me accusare, præsumitur modo te velle iterum calumniari; quia semel malus semper præsumitur malus in eodem genere mali: aliam esse præsumptionem *facti subsequens circa præterita*; ut, si aliqui fuerint accusati de crimine adulterii, quod depellebant prætextu proximitatis, si postea in matrimonium se conjunxerint,

R r r

1928.



rint, manifestè præsumitur facinus, in quo accusati fuerunt, *L. si adulterii C. ad leg. Jul. de adult.*

1929.

Not. 3. præsumptionem in jure interdum etiam aliis nominibus significari; hinc quando quæritur, qualis intentio in operante præsumenda sit, vocatur *questio voluntatis*; interdum autem significatur per verbum *videtur*, *intelligitur*, *creditur*, *arbitror*, *existimo*, &c. si hoc in aliqua juris dispositione ponatur circa quæstionem propositam. Exemplum primi habetur in illis legibus, ubi, cum dicitur, in substitutione vulgari expressa, contineri tacitam pupillarem, & e contra, vocatur *questio voluntatis*; quia præsumitur hæc intentio fuisse instituentis; secundi autem in *c. Tua nos 26. ibi*; quòd, cum præfatus Vir prædictam desponsaverit mulierem in propria persona, & sub nomine alieno, quo vocari tunc se finxit, & inter eos sit carnalis copula subsecuta: videtur *fortè* pro conjugio præsumendum, ubi *ly fortè* non est dubitantis; sed solùm super jure respondentis.

Nam licet Pontifex hic dicat, *videtur fortè pro matrimonio præsumendum*, & alias particula *fortè* sit dubitantis, ut exponit Barbofa *de dictionibus, diction. 109. num. 2.* [unde quidam inferunt: ergo ex hoc textu non concluditur *absolutè*, quòd præsumatur in judicio matrimonium, si post fidem datam sequatur copula] hoc tamen non obstat. Tametsi enim particula *fortè* inducat dubitationem, quando factum respicit, & consequenter deponens per dict. *fortè* nihil concludat, quia dubitativè deponit, ut notat Barbofa *de dict. usufreq. dict. 227. numer. 1. & 4.* non inducit tamen dubitationem, quando ponitur super jure, ut bene probat *ibid. numer. 5.* quia tunc est nota assertionis, ut in *c. ex parte, de celebr. missar. & c. tua nos*

*de spons. juncto intellectu glossæ ibid. V. fortè. c. 1. de suppl. negl. Prælat. l. 6. ita Barbofa cit. numer. 5.* Unde videtur habere sensum: super quo tibi respondemus, quòd, cum &c. videtur *fortè*, hoc est, *alioquin* pro conjugio præsumendum, nisi tu nobis expressè scripsisses, non habuisse consensum. Ubi Pontifex veritatem præfert præsumptioni. Ex hoc sequitur, quamvis Jureconsultus in consiliis circa ea, *quæ juris sunt*, utatur dictione, *fortè*, non propter hoc consilium esse dubium; nec eum dici dubitativè consulere, sed assertivè; ac proinde illi standum, quia quantum ad se censetur quæstionem decidere; Barbofa *cit. numer. 7.* ex Felino, Rebuffo, Cenedo, Tuscho, & aliis.

Not. 4. quo magis verosimilia sunt <sup>1930.</sup> indicia, & conjuncturæ pro circumstantiis rerum, de quarum veritate investigatur, hoc præsumptionem esse fortiozem; cum enim præsumptio, ex qua in judicii proceditur, sit anticipata quædam de re dubia opinio, concepta ex argumentis, indiciis, & conjecturis in talibus rerum circumstantiis communiter evenientibus; secundum quod hæc majorem veri apparentiam præferunt; præsumptio erit major, vel minor.

Not. 5. quamvis plura dixerimus <sup>1931.</sup> *de indiciis*, quæ factum aliquod credibile plus, aut minus reddant, & ex quibus ad inquisitionem specialem procedi possit; de iisdem tamen etiam hic advertendum, per *indicia* intelligi ea objecta in sensus incurrentia, de quibus per experientiam, vel naturalem connexionem constat, quòd sæpius sint conjuncta, quam non conjuncta, cum aliquo alio, cujus proinde existentiam, visis illis indiciis, inferre pronum est, licet non necessarium, ex gr. si videmus hominem cum gladio cruento fugientem, argu-



argumentum fit, factam esse ab illo cædem Petri jacentis in illa platea. Aliqui volunt *conjecturas*, & *indicia* esse Synonima; quod admitti potest, si conjecturæ sumantur *objectivè* pro fundamentis, seu objectis suadentibus rem esse, vel non esse; non autem si *formaliter*; sic enim supponunt pro judicio intellectus ex iisdem concepto de talis rei existentia, vel non existentia.

1932. Not. 6. inter *fictionem*, & *præsumptionem* esse discrimen. *Fictio*, est legis adversus veritatem in re possibili ex justa causa dispositio; sic Pereyra in *Eluclidar. n. 1254*. alii existimant, eam plenius definiri dicendo, quòd sit *indubitata falsitatis assumptio pro veritate*, in casu possibili, *ex justa causa, ad inducendum aliquem juris effectum, equitati naturali non repugnantem*, jure sic disponente; ex quibus postremis particulis deducitur, hominem non posse *ingere juridicè*; hoc est, disponere, ut in ordine ad certum juris effectum pro vero habeatur, quod indubitato falsum est; nam ob hoc dicitur *fictio juris*, nimirum *legis*.

1933. Ex hoc sequitur, quòd *fictio* ad solam legem pertineat; nec enim contrahentes possunt fingere, nisi permittente lege. Nec ob aliud inducitur, nisi ut suppleat id, in quo desideratur facti veritas, ad hoc ut ex ea veri producantur effectus. Dicitur *imitari naturam*, *L. adoptio, ff. de adopt.* Unde, sicut naturaliter quis filium ad tempus, vel sub conditione habere nequit, ita emancipare eum, vel adoptare in diem sub conditione non potest, *L. si tibi, ff. eod.*

1934. Dicitur *assumptio falsitatis pro veritate in casu possibili*. Constat enim nunquam extendi *fictionem* ad ea, quæ impossibilia sunt, ut ait glossa in *L. talis ff. de legatis. 1. c. §. minorem, Instit. de adopt.* Plures porro casus sunt, in quibus disponente jure idem juris effectus in casu ficto tribuitur, qui alias so-

ret in casu vero; sic natus ex duobus solutis, inter quos matrimonium consistere poterat tempore conceptionis, uteri geiti, vel nativitatis, secuto postea inter eius parentes matrimonio, *fictione juris* [ut communiter traditur] habetur legitimus perinde, quàm si dum conceptus est, inter parentes ejus extitissent justæ nuptiæ, ubi vides *falsum* (nempe tunc, quando concubitus in re fornicarius inter ejus parentes exercitus fuit) ex justa causa [nimirum favore matrimonii secuti, & prolis] *assumi pro vero*, nempe, quòd jam tunc fuerint justæ nuptiæ, & concubitus conjugalis; *in ordine ad juris effectum*, legitimæ prolis; quibus observatis:

Plures sunt differentia inter *fictionem*, & *præsumptionem*; nam *fictio* nunquam stat cum veritate; secus quandoque *præsumptio*; cum hæc quandoque possit esse in re vera, quandoque falsa; *fictio* autem ster in casu falsi etiam cogniti, tanquam falsi, ut cum jus fingit, natum esse, qui nunquam natus est; vel non natum esse, qui verè natus est; aut natum esse ex justis nuptiis, quando nullæ fuerunt; 2. quia non datur in eadem re *fictio* contra *fictionem*; sola enim veritas contraria est *fictioni*; at veritas non fingitur; secus autem *præsumptio* contra *præsumptionem*; prout sæpe fit in judiciis, ubi una *præsumptio* quandoque elidit alteram; 3. nulla datur *fictio* hominis, ex *n. 1932*, secus *præsumptio* ex *n. 1924*. 4. *fictio* nunquam potest infirmari per veritatem; secus *præsumptio*, saltem *juris tantum*; imò quandoque etiam *juris de jure*, ut alibi ostendimus. Quia tamen jus quandoque aliquid adeo fortiter *præsumit*, ut in oppositum nec probationem admittat, eò quòd certum existimet, rem, quam fingit, sic esse, cum tamen ex natura rei possit esse contrarium, non est absque *fictione* in ejusmodi casu.

Not. 7. poni discrimen inter *præ-* 1936.  
sum-

Rrr 2

sum-



sumptionem, *vehementem*, & *violentam*; nam *vehemens*, id est, *probabilis*, non plenè probat, *c. literis, de presum.* *violenta* verò probat, licet recipiat probationem in contrarium, *c. nec aliqua 27. q. 1.* Verùm, etsi discrimen hoc rectè assignetur, si præsumptio *probabilis* conferatur cum *violenta*; aliqui tamen censent *vehementem à violenta* differre tanquam minus forte à fortiori; adeoque *vehementem* plus importare, quam merè probabilem. Neque capitulum *literis 12. h. t.* loquitur de præsumptione, quæ non plenè probet. Nam postquam Pontifex per scriptum sibi casum intellexit, quòd Pyrrhus ab Antonia muliere, quam in uxorem acceperat, peteret separari, & accusatores matrimonii produxissent testes firmiter asserentes, quòd, postquam mulier cum prædicto viro contraxerat matrimonium, consanguineum viri ejusdem solum cum sola, nudum cum nuda, in eodem lecto jacentem, eâ [ut credebant] intentione, ut eam cognosceret carnaliter, viderint multis locis secretis, & latebris ad hoc commodis, & horis electis; respondit, quòd ex hujusmodi *violenta, & certa suspitione fornicationis*, possit sententia divortii promulgari: ita quidem, ut vir licentiam habeat, mortua illa ducendi aliam, muliere sine spe conjugii remanente. Non igitur agit de præsumptione *vehementi*, seu solum *probabili*; sed *violenta*; quæ communiter dicitur plenè probare, sive agatur civiliter, sive criminaliter; quod tamen limitat Layman in *dict. c. literis, num. 1.* quando actus suapte natura est occultus; nam etiam suppositis omnibus illis circumstantiis potest contingere abesse veritatem; exemplum autem præsumptionis *vehementis* habetur *c. nec aliqua 4. causâ 27. q. 1.* quod est desumptum ex Cypriano ad Pomponium de Virginiibus.

1937. Not. 8. etsi verum sit, quòd præsumptio juris & de jure regulariter

non admittat probationem in contrarium; id tamen quandoque fallere, quia contra illam admittitur probatio, quam præstat judicialis confessio ejus, pro quo stat præsumptio juris de jure, si confessio sit de facto aliquo, quòd sit in ejus potestate. Nam, quòd res à Tutore in inventario descriptæ verè fuerint in bonis defuncti, fundetur in præsumptione juris, & de jure in *L. fin. C. arbitr. tutel.* & tamen si pupillus, major factus, in judicio fateatur, res illas per errorem inibi descriptas esse, probatio ex hac confessione recipitur; sic Menoch. *l. 1. presumpt. q. 61. n. 5.* & Felinus in *c. Quanta. 8. h. t.*

Fallit. 2. etiam in præsumptione, quæ jure veteri in sponsis de futuro, inter quos secuta est copula, præsumitur affectus conjugalis, non fornicarius, atque adeò matrimonium, si fateantur ambo, se non eo animo carnaliter congressos, ut tradit Menochius *l. 1. q. 65.* quod intellige, quando præsumptio est pro matrimonio contracto in tali casu, & ambo contractum negant non directè, sed solum indirectè, nimirum negando copulam animo maritali habitam. Unde complures tenent, bene admitti probationem indirectè contrariam præsumptioni juris & de jure. Nam etsi instrumentum publicum sit magnæ autoritatis, & sic probatio clara, & probata; indirectè tamen reprobari potest, ut dictum est supra; etiam per testes. Idem est, si opponi possit in contrarium probatio per notorium. &c.

## ARTICULUS II.

*Ex quibus argumentis & indiciis desumi possint præscriptiones?*

Cum agamus de præsumptionibus, quæ gravant eum, contra quem stant, & vel penitus à probatione contrarii rejiciunt; vel certè cogunt, si vim earum excutere velit, legitimis probationibus ostendere contrarium, ex



ex iis utique indiciis procedere debent, quæ suadere possunt prudentem assensum, sic rem esse, vel non esse, quæ præsumi dicitur; hinc necesse est, quod ejusmodi indicia quandam connexionem habeant communiter illativam talis effectus, qui præsumitur, fundatam vel in ipsa eorum natura, vel in experientia, quod stantibus illis plerumque sic fieri, ac evenire contingat. Talia porrò indicia seu objecta (ubi testes, vel instrumenta deficiunt) in iudicio afferri solent, ut Judex inde præsumptionem capiat, quâ nixus pro altera parte litigantium sententiam ferre possit.

939. Sic ex *c. Sicut i. h. t.* habetur, ex damno, vel malo, præsertim fraudulenter, seu occulte alteri facto per actionem illicitam, vel periculosam, præsumi malum animum; nam sicut noxius est, ait textus, qui emittit lanceas, & Sagittas in mortem; ita Vir, qui fraudulenter nocet amico suo, & cum fuerit deprehensus, dicit, ludens feci; ut habetur in parabolis Salomonis, & refertur *dict. c. 1.* Ex hoc textu deducunt, quod omne malè factum, semper præsumatur pravè factum, ut tradit Mascardus *de probat. conclus. 223. n. 5.* & alii, volentes dicentem alteri verbainjuriosa, præsumi dixisse animo injuriandi, eò, quod, quæ suâ naturâ mala sunt, & de genere prohibitorum, licet aliquo casu possint honestari, in dubio præsumantur pravè facta; sic etiam Farinacius in *praxi criminal. p. 3. q. 85. num. 34. & q. 89. n. 77.* Hæc præsumptio est juris tantum, prout colligitur ex *L. 1. de Sicariis*, ubi dicitur, *ei, qui hominem occidit, probandi onus incumbere, se non occidendi animo fecisse;* & *L. Si non convitii 5. C. de injuriis*, junct. gloss. V. *Probare*; ubi habetur id, quod diximus de verbis injuriosis. Et ideo, ut habetur *§. Placuit. Institut. de obligat. ex delicto*, qui rem alienam accepisse deprehensus dicit: *credidi, Dominum non esse inventum*, præsumi furtivè abstulisse, nisi oppositum iudicio quodam verisimili doceat.

Secundò, in dubio, an quis ex hoc, 1940. vel illo patre, aut matre natus sit? nati-  
vitas præsumitur ex affectu dilectionis; ostenditur ex *c. afferte. 2. h. t.* ubi refertur sententia, lata à Salomone. *l. 3. Reg. cap. 3.* inter duas mulieres contententes de filiolo, quod ejus esse censeatur, quæ illum, penes alteram, vivere maluit; quàm, ut occisus neutrius sit. Naturale enim est, ut parens prolem suam diligat, nec affectus extraneus reperiatur, qui paternum vincat, *L. fn. C. de curat. furiosi*, ubi statuitur, quod furioso in Sacris (hoc est, ut notat glossa, in patria potestate) parentis sui constituto Curator dari non debeat [quod Imperator dicit, *indubitatum esse*] eo quod illi sufficiat paterna verecundia, seu sollicitudo; causam reddit: *quis enim talis affectus extraneus invenitur, ut vincat paternum? vel cui alii credendum est, res liberorum gubernandas, parentibus derelictis?* Hanc præsumptionem communiter Authores dicunt vehementem, & violentam, ac sufficere, ut ex ea Judex procedat ad sententiam definitivam, ut notat ad hunc textum Barboza *n. 9.* quod tamen videretur accipiendum cum limitatione, ut procedat non in qualibet materia liti subjecta; sed quando in dubio agitur de filiatione vel quoad possessionem, vel quoad proprietatem; nam de hoc erat quæstio in *c. afferte. 2. h. t.* Et tamen verum sit, valde potentem esse naturalem paternum affectum in liberos, sic ut teste Menochio *l. 6. præsumpt. 56. n. 2.* ille non præsumatur pater, vel mater, qui filium non diligit: hoc non videtur porrigi communiter quoad bona corporalia: nam quando agitur de bonis animi, valde frequens est, vix ullam multis parentibus curam esse liberorum, ut liquet ex educatione ad meras vanitates, res tantum seculi, &c. &c. neglectâ culturâ animi in ordine ad mores Christiani hominis, & literaturam; sine quibus ex ejusmodi personis [quæ gubernationibus plerumque admoveri ambiunt, & obtinent] gravissima mala in rempublicam redundant.

Rrr 3

Ter-



1941. Tertio, quando Vir contra Uxorem agit ad divortium ex causa adulterii, cum sit causa difficilis probationis, Judex potest procedere ad definitivam, si Actor ad probandum adulterium producat praesumptionem, de qua agitur in c. *Literis 12. h. t.* Nam, cum Archidiaconus Genuensis ad Alexandrum III. praescripisset, quod cum P. & A. muliere, quam in uxorem acceperat, peteret separari, accusatores matrimonii produxerint testes firmiter asserentes, quod, postquam mulier cum praedicto viro contraxerat matrimonium, consanguineum viri ejusdem solum cum sola, nudum cum nuda, in eodem lecto jacentem, ea [ut credebant] intentione, ut eam cognosceret carnaliter, viderint multis locis secretis, & latebris ad hoc commodis, & horiselectis: & quaesivisset, an istae circumstantiae, & concepta exinde praesumptio sufficerent ad pronuntian- dum pro Actore? Pontifex respondit: *quod ex hujusmodi violenta, & certa suspicione fornicationis, possit sententia divortii promulgari: ita quidem, ut vir licentiam habeat, mortua illa ducendi aliam, muliere sine spe conjugii remanente.*

1942. Ex hoc textu communiter deducunt Doctores, si actus (v.g. carnalis copula) suaapte naturam occultus sit, & sensibus non patens, ut fornicatio, tunc praesumptiones violentas ac moraliter certas, quae ex proximis oriuntur indiciis, facere probationem plenam, si agatur civiliter ut hic; quin etiam, si agatur criminaliter ad poenam adulterii vel incestus; sic Mascardus *de probat. conclus. 59. à num. 6.* Sanchez *de Matrim. l. 10. D. 12. à num. 45.* sed ad sententiam criminalem videtur probabilius non sufficere talem praesumptionem, ut recte probat Barbof, *in dict. c. 12. n. ult.*

1943. Deducitur praeterea, quod ad probandum adulterium, & copulam carnalem admittantur testes de credulita-

te, sic Farinac. in praxi criminal. q. 136. n. 32. ubi numer. 34. id intelligit, si suam credulitatem fundent in aliquo actu venereo, & propinquo. Deducitur 2. quod adulterium, & copula carnalis non possit directe, hoc est, *concludenter, & per necesse* probari per testes de visu, sed tantum *praesumptive*; & propterea ad probandum hoc delictum sufficere praesumptiones, & conjecturas non qualescunque, sed violentas, ut dictum est; & hoc solum in casu, si civiliter agatur contra adulterium ad thori separationem, vel impediendum matrimonium, ne contrahatur, vel ad dotis amissionem: secus autem si criminaliter, & ad poenam; sic Mascard. *de probat. conclus. 47. num. 3. vers. quae tamen sententia.* Ubi, quod, si testes deponant vidisse virum, & mulierem in eadem camera solos, & dispectoratos, caligis dissolutis, & ianuam clausam, non probant copulam, quando criminaliter agitur; sed solum conatum ad copulam carnalem, & idem resolvit *conclus. 59. num. 10. & num. 20. & conclus. 810. num. 5. 7. & seq. & conclus. 1210. num. 8.* Farin. q. 136. num. 18. & 19. & conf. 78. num. 22. & 25. ubi quod nec urgentissimis, nec proximis indiciis, veluti si solus cum sola, nudus cum nuda reperti fuerint, probatur copula carnalis ad effectum criminaliter condemnandi.

Deducitur 3. confessionem propriam eorum, qui fatentur carnalem copulam inter se habitam, seclusis aliis adminiculis, non sufficere ad dissolvendum matrimonium per verba de praesenti contractum cum consanguineo, vel consanguinea alterius ex personis fornicariis; nam etsi, postquam Juvenis contraxit per verba de praesenti cum una, hujus neptis deposuerit, se fuisse prius cognitam carnaliter ab illo juvene, Pontifex jusserit separari illud matrimonium; hoc tamen non est factum ad solam illius neptis confessionem, ut habetur aperte in c. *Tertio loco 13. h. t.* sed etiam ex eo, quia



quæ in hoc textu ultra confessionem viri, & mulieris, concurrebat etiam convagatio per nemora, & loca solitaria, & etiam testimonium, & fama viciniæ; quasi secus sentiens hic Summus Pontifex non concurrentibus prædictis; sic Farinac. *cit. q. 136. numer. 45.*

1945. Præter dicta not. 1. etsi regulariter damnum alteri causatum ex actione malapræsumatur dolo factum; hanc tamen præsumptionem esse juris tantum, & admitti probationem in contrarium, ut dixi *numer. 1939.* Talis etiam præsumptio est, qua ex vita, & studiis pueri, præsumitur bonum, vel malum in ætate virili, ut habetur *c. Ex studiis 3. h. t.* ubi dicitur, quod ex pueri studiis intelligatur, quid de ejus operibus, rectane, an munda sint, existimari debeat, sive ex iis, quæ tractat puer, & ad quæ affectum se ostendit, conjectura sumi possit, num ejus opus rectum futurum sit: sumptum est ex Proverbiis Salomonis, *cap. 20. vers. 11.* cum interpret. S. Hieronymi.

1946. Et ideo etiam, qui in juventute vixit continens, non præsumitur incontinens in ætate majori, & jam gravi; præsertim, si sit Vir literatus, & in dignitate constitutus, ut habetur *c. Cum in juventute 15. h. t.* nam, cum Rex Ungariæ Quinque Ecclesiensem Episcopum denuntiasset Innocentio III. quod incestum cum propria nepte commisisset; & hoc scandalum ex regno tolli postulasset; Pontifex rescripsit Genadiensi Episcopo, & Abbati Deciquor: *cum in juventute sua Quinqueecclesiensis Episcopus adeo se maturum, honestum, & providum exhibuerit, ut ab Ecclesia Romana meruerit pallio decorari: non est de levi credendum, quod postquam ad senilem pervenit ætatem, turpiter abjecerit jugum Domini, fetores libidinis amplexando: cum labe hujusmodi, quæ nonnunquam in juventute contrahitur, in senectute frequentius ex-  
pietur. Quis præterea de facili cre-*

deret, quod vir prædictus scientiâ literarum, propria salutis oblitus, ad eam passionis ignominiam se converteret, ut cum propria nepte, abominabilem perpetraret incestum? cum etiam secundum sententias Ethnicorum, naturale fœdus inter tales personas, nihil permittat sævi criminis suspicari; quibus positus:

Concludit Pontifex: *Licet igitur Rex Ungariæ eundem Episcopum nobis per nuntios, & literas, de tali crimine detulisset, postulans, ut malum hujusmodi & perniciosum exemplum de Hungarica Ecclesia tolleremus: quia tamen ejus suggestio, non de charitatis radice procedere videbatur, nolimus aures nostras, quasi malignis delationibus inclinare. Sed ut probaremus, si Spiritus esset ex Deo, Auriensi Episcopo dedimus in mandatis, ut prudenter & cautè à Coëpiscopis indagaret, utrum præfatum Episcopum crederent tali labe respersum? Qui nobis postmodum rescripserunt, quod eum virum honestæ conversationis credebant esse, personam illius multipliciter commendantes.*

Ex hoc textu colligitur, ex vita, in 1947. juventute bene acta, fundari præsumptionem bonæ vitæ etiam in ætate graviore sic, ut contra talem, alleganti malè factum aliquod, non credatur, nisi hoc probet, præsertim, si is, pro quo stat præsumptio, sit homo *literatus* [viri enim literati præsumuntur à vitiis abstinere, ut tradit Barbosa *p. 2. de offic. & potest. Episcopi, allegat. 46. num. 3.*] & in dignitate, præsertim Ecclesiastica constitutus; ex hac enim habet pro se præsumptionem virtutis, quod per eam emerferit, ut notat Tiraquel. *de pœnis temp. c. 51. numer. 94.* Videtur tamen hæc præsumptio non esse *juris & de jure; sed juris tantum;* cum admittat probationem in contrarium; & non raro contingat adeptione honorum mutari mores, non in melius. Illud autem certum videtur, Superiores non debere faciles esse in credendo denun-  
tiatione-



tiationibus delictorum contra suos, etiam factis per eos, qui potentes sunt, præsertim, cum plus confidunt sibi fidem habendam propter suam potentiam, vel dignitatem seculi, latente interim denuntiantis odio, ac proscrip-  
pto Zelo communis boni; docuit hoc Summus Pontifex in præsentis casu, qui nec Regis denuntiationi fidem habuit, etiam denuntiato gravi scelere; ac denuntiatum expertem criminis, cuius arguebatur, per viros alios Ecclesiasticos apprehendit.

1948. Not. 2. quando quis ex duobus propositis unum negat, præsumi, quod alterum affirmet, ut traditur in *c. Nonne s. b. t.* ubi Gregorius Pontifex, ad illum textum [*nonne bene dicimus, quia Samaritanus es tu, & demonium habes*; respondit Jesus: *Ego demonium non habeo*] subjungit: *duo quippe illata fuerunt ei: unum negavit, alterum tacendo concessit.* Ex hoc communiter inferunt Doctores, quod reprobatio unius, ex duobus propositis, videatur includere approbationem alterius; sed hoc habet plures limitationes, ut notavimus lib. 4. Taciturnitas enim non præjudicat, ubi quis contradicendo expressis verbis non potuisset actum impedire; similiter præsentia, & taciturnitas ejus, qui contradicere non potest, vel non audet, metu justo, reverentiâ, &c. non nocet; sic Tiraquel. *de Retract.*

1949. Not. 3. quod ex præteritis capi possit præsumptio de futuris, *c. Mandata 6. b. t.* ubi Pontifex ad Maximum Episcopum, quem super omnes Ecclesias Siciliae Vicarium Sedis Apostolicæ constituit, hac dignitate, non loco, sed personæ, delata, rationem reddit, *quia ex transacta antè vita didicimus, quid de subsequenti conversatione tua præsumamus*; idem habetur in *c. Scribam 9. eod.* ubi dicitur, *ex legibus prius datis, & neglectis apparere, quod & has negligent, si nova darentur.*

Not. 4. ex vicinia præsumi notitiam inibi factorum, ex *c. quosdam 7. eod.* Hinc communiter deducunt; quod vicinus præsumatur scire facta sui vicini, Tuschus *V. Scientia, conclus. 62. n. 2.* Tiraquel. *de pœnis temper. causa 23. n. 2.* sed hæc præsumptio in multis fallit. Censentur autem vicini, qui habent prædia vicina, item qui habent ædes in conspectu, sive sint proximæ, sive non, item qui habitant in eadem contrata, secundum vulgi opinionem; sic Menochius *de arbitrar. casu 222. à num. 13.* Huc etiam reducitur ea præsumptio, quod factum sit notum in vicino, si notum sit in remoto, ut habetur *c. quando 8. eod.*

Not. 5. ad vincendum eum, qui habet pro se præsumptionem juris, requiri efficaciores probationes, quam exigerentur, si ea præsumptione destitutus foret; cujus ratio est; quia præsumptio reddit oppositum saltem minus verosimile; at, ubi, quod probandum est, vel non est verosimile, vel saltem minus opposito, requiritur fortior probatio ex *c. Quia 10. b. t.* Ergo. Not. 6. matrimonium esse contractum præsumi ex diutina cohabitatione, habita copula, producto connubiali contractu, & similibus adminiculis, per *c. illud 11. eod.*

Sed hodie, ne eludatur decisio Concilii Trident. *sess. 24. de reformat. matrim. c. 1.* nec cohabitatio, nec alius consensus verbis, signis, aut factis expressus, nec etiam copula quidquam faciunt ad præsumendum, aut probandum legitimum matrimonium, nisi coram parochio, & testibus fiat; & ita per hæc cessant de jure antiquo scripta in *cit. c. illud*, prout notant Henriquez in *Summ. p. 2. l. 11. c. 3. num. 7. in gloss. lit. C.* quod tamen accipe, si præsumptio versetur circa consensum. Nam hodie non facit matrimonium, quod Ecclesia toleret, consensus merè præsumptus; secus est, si solum præsumatur purgatus metus, vel conditio remissa; de quo V. dicta *l. 4. à numer. 473.*

Not.



1951. Not. 7. neminem debere condemnari de gravi crimine propter præsumptionem etiam *vehementem*, ex *c. literas 14. h. t.* ubi, quantumvis esset vehemens præsumptio, quòd Gustavus, de quo in textu, laboraret vitio hæresis, Pontifex statuit: mandamus, quatenus, cum propter solam suspicionem (*quamvis vehementem*) nolimus illum de tam gravi crimine condemnari, talem & tantam securitatem recipiatis ab ipso, præter juratoriam cautionem, quòd timore pœnæ corporalis debeat coërceri, discretam ei pœnitentiam injungentes, ex qua valeat apparere, utrum in tenebris ambulet, an in luce: utrumvé sit verè pœnitens, an fictè conversus: & si eum hoc modo verum Catholicum cognoveritis, non finatis ipsum indebitè molestari: alioquin eum tanquam hæreticum condemnatis.

1952. Ex hoc videtur rectè colligi, præsumptionem *violentam*, & *vehementem*, quoad effectum probandi, de jure saltem canonico, non æquiparari; nam *vehemens* non sufficit ad condemnandum de gravi crimine; ut constat ex *cit. c. literas 14. violenta* verò sufficit ad condemnandum de adulterio, ex *c. literis. 12. h. t.* de quo *num. 1941.* Etideo, ex præsumptionibus, & argumentis neminem debere criminaliter condemnari, tradunt Antonius Gomez *Variar. tom. 3. c. 12. num. 25.* Mascardus *de probat. conclus. 459. num. 3.* per *L. absentem. ff. de pœnis*, & *L. qui sententiam. ff. eod. L. Singuli, C. de accusat.* Rationem hujus reddunt; quia in criminalibus ad condemnationem probationes debent esse nedum concludentes, sed luce meridiana clariores, *cit. L. absentem*, cum aliis, *L. Sciant, C. de probat.* canonizata in *c. Sciant cuncti. 2. q. fin.* nisi præsumptiones sint *juris & de jure*, in quibus, quia lex præsumit, & supra præsumptionem statuit firmum jus, illam videtur approbare, *c. is, qui fidem, de sponsal. c. de illis, de sponsal. impub.* Unde Gomez *cit. c. 12. num. 25.* & alii, volunt, quòd in criminalibus Judex præsumptionem juris de jure sequi tenet. Tom. II.

neatur propterea, quòd, sicut ex tali præsumptione crimen legitimè patet; sic etiam debeat patere Judici; Judex autem procedere debeat patente ipsi delicto. Verùm, an tales præsumptiones delictum probent luce meridiana clarius, ac indubitatè? prout exigitur *L. ult. C. de probat.* ut exinde feratur sententia capitalis, mihi valde dubium est; cum illa certitudo non detur sine fictione, ut notavimus *num. 1935.*

1953. Not. 8. Clericum, qui impetravit rescriptum, ut recipiatur in numerum beneficiatorum cum clausula, *si idoneus fuerit*, ex hoc ipso habere pro se præsumptionem juris de sua idoneitate sic, ut, si quis non idoneum assereret, non Clerico, de quo id asseritur, suæ idoneitatis probandæ onus incumbat; sed asserenti, in idoneitatem; ut habetur in *c. fin. h. t.* sed hoc non videtur procedere adeo indefinitè; quid enim operarentur ea verba: *si idoneus fuerit*, in rescripto ad Collatorem directo? Unde Vivianus in *praxi juris patron. p. 12. l. 6. c. 10. num. 13.* distinguit inter idoneitatem *intrinsecam*, quæ habetur à puritate animæ, morum integritate, & bonitate vitæ; ac *extrinsecam*, quæ à scientia, & literatura; & primam præsumi, nec probandam à tali Clerico; secus alteram, quæ accidentaliter est; sic etiam Barbosa *de potest. Episcopi, p. 2. alleg. 10. n. 17.* Hinc illa clausula, *si idoneus fuerit*, non habet rationem conditionis relatæ ad qualitates illas naturales, & intrinsecas; nam quoad has tacitè inest provisionalibus rescriptis; sed quoad extrinsecas, in quantum sciri debent, ne Collator promoveat in idoneum.

#### §. Unicus.

*An, qui fugit judicium, præsumatur confiteri objecta?*

1954. DE hac quæstione extat *c. 4. h. t.* ubi Bonifacius VIII. sic loquitur: *nullus dubitat, quòd ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum, ut absolvatur, qui est innocens, querit: confitetur enim de omnibus, quisquis se subterfugere judicium dila-*

Sss

dila-



*dilationibus putat.* Nam, quemadmodum innocens non subterfugit iudicium, in quo se absolvendum sperat, ita, qui dilationibus iudicium declinare cupit, ea, de quibus accusatur, confiteri videtur; qui enim aliquoties, indulto sibi temporis spatio, intra quod comparere, & se purgare debeat, non comparet, aut se absentat, censetur crimen confiteri; ita etiam legitur in c. *Decernimus 10. causa 3. q. 9.* textus hujus c. sic habet: decernimus vestram debere intra provinciam esse iudicium, & congregari Synodum ante diem Calendarum Novembrium; ut, si adesse voluerit, præsens, si confidit, ad objecta respondeat: *si verò adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur.* Nam manifestum est, confiteri eum de crimine, qui indulto, & toties delegato iudicio, purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest, utrum in præsentis examine, non omnia quæ dicta sunt, comprobentur; cum ipsa quoque pro confessione procurata totius constet absentia; ubi glossa, V. *Manifestum*, ait, hoc intelligi secundum præsumptionem.

1955. Sed advertendum, hanc præsumptionem esse *juris tantum*, nec, nisi aliis juvetur adminiculis, & argumentis, probare concludenter. Hujus ratio mihi ex eo probatur; quia nunquam licet ex aliquo facto, vel effectu *concludenter* arguere ad hanc *determinatè* causam, quando tale factum, vel effectus nasci potest ex pluribus, æquè valentibus illum inducere, ac illa, ad quam *determinatè* arguitur; sed, quòd quis fugiat iudicium, vel clam discedat ex carcere, nasci potest, ex pluribus aliis causis, quàm ex mala conscientia; puta ex potentia adversarii, cum certitudine ferè morali majoris partis iudicum colligatorum, affectu, spe, &c. metu oppressionis, longæ fatigationis in causæ proelatione, arresti, & aliorum malorum, quæ quandoque processus secum ferunt, præsertim, ubi iustitiam promovent munera; idem est, de metu diuturni carceris; longi squaloris, torturæ, etiam ex falsis testibus, pro-

bationibus, instrumentis, &c. non igitur *concludenter* licet arguere *determinatè*, fugam fieri ex mala conscientia, consequenter ex hoc delictum, vel causam esse *confessam*.

Dico, esse *confessam*; quia per hoc non nego, posse fieri conjecturam, seu concipi verosimile iudicium, quòd hoc titulo [nimirum conscientiam mali] declinet, aut fugiat; sed elidibile per contrariam probationem, quæ hoc major esse debet, quòd plura tali declinationi, vel fugæ accedunt adminicula, vel argumenta, & indicia, fieri ex tali causa; qua in re opus est magnâ iudicis discretione, ac prudentiâ, ut regula in dict. c. *Nullus* tradita, in casu particulari ritè applicetur; non autem, ut multi iudices, ipsi parum eruditi faciunt, ex brocardico indefinitè sumpto statim sine discretione procedant ad pronuntiandum; cum hæc juris axiomata plurimis quandoque fallentibus subjiciantur; id, quod sapienter notavit Gregorius XIV. in sua constitut. *Cum alias nonnulli*, à nobis relata ex professo *lib. 3. tit. 49. de Immunit. Eccles.*

Hinc aliqui distinguunt, an quis fugiat ante factam inquisitionem, vel factam accusationem, an post? in primo casu censent, præsumi quidem fugam fieri propter conscientiam criminis, cum Rei & sceleris conscii plerumque fugâ salutem quærere soleant, ut tradit Mascardus *de probat. conclus. 819. à num. 1. Farinac. in praxi crimin. l. 1. q. 48. num. 1. & 27.* [nisi tamen appareat alia probabilis causa fugæ; tunc enim discessio in dubio potius in bonam partem saltem negativè, hoc est, non in malam, accipienda est] non tamen facit probationem etiam semipleenam, consequenter sufficientem, ut exinde iudex (seclusis aliis probationibus) ad pronuntiandum procedat: in secundo autem casu docent, discessionem vel fugam non sufficere ad præsumendam *determinatè* conscientiam criminis, sed



sed potius factam ex metu diuturni processûs, & eorum, quæ illum consequuntur, quæ difficile est subire innocenti, & justam fugæ causam præbent, præsertim, ubi Judices in expeditionibus ejusmodi causarum lenti sunt, Reo interim per menses, & annos, duris quandoque carceribus detento, cum innumeris molestiis, expensis, & licitorum, aliorumque vexationibus, atque duritie, raro regressu ad famam ejusmodi processibus vehementer labefactari solitam, tametsi innocens declararetur; ita Menochius *l. j. præsumpt. q. 8. num. 39. Farinac. cit. numer. 27.*

1958. Advertendum autem nos loqui de fuga, vel discessione, secundum quod haberi solet pro indicio conscientie delicti; aliud enim est, quando ipsa fuga est delictum, ut, si miles, legitime conductus, fugiat à militia, vel ex conflictu, aut commissa in excubiis statione; nam in tali casu non probatur delictum ex fuga; sed potius probata fuga, vel eâ notoriâ, probatum, aut notorium est ipsum delictum; de quo V. Julius Clarus in *prætic. §. fin. q. 21. n. 19.* Hinc censent aliqui, Reum, in publico carcere justè detentum ob aliquod crimen, eo effracto fugientem, haberi pro confesso, & convicto, sic, ut deprehensus pœnâ ordinariâ puniri possit; sic gloss. in *L. In eos 13. V. puniendi. ff. de custod. Reor. arg. L. 1. ff. de Effractoribus.*

1959. Verum, ut ad hoc dicamus, præmittendum cum communiiori Doctorum sententia, Reum non solum antè, sed etiam post Judicis sententiam, fugere posse, etiam cum effractione carceris; & hoc non solum in causâ capitali, aut alia gravem corporalem pœnam exigente, sed etiam in causâ pecuniaria; ita Salonius, Sà, Navarrus, & Sanchez, quos citat, & sequitur Haunoldus *tom. 5. de jure, & just. tr. 2. num. 331.* nam lex contraria excederet humanam conditionem; nec obstat; quòd inde damnus sequatur custodi Reorum; & carcerum effractio graviter inhibita sit;

Tom. II.

nam damnus illud solum per accidens sequitur, sicut occisio innocentis, quæ fit, cum Princeps Urbem sibi rebellem armis, ac tormentis [ubi etiam plures quandoque innocentes cadunt] directè quærit cogere ad obedientiam; effractio autem in casu fugæ licitæ, cum sit tantum remotio impedimentorum, obstantium consecutioni finis Reo licitæ, tali casu illicita non est.

Verum est, extare leges graviter pœnales, quibus dicitur, qui effracto carcere evaserunt, sumendum supplicium, imò capite puniendos, si perfractis toribus, &c. ut habetur *L. 1. ff. de Effractoribus & Expilatorib.* sed hæc leges propter gravitatem pœnæ vel sunt nimis graves, vel non in usu, ut censet Lugo, apud Haunold. *cit. num. 332.* vel sunt merè pœnales, quæ non cadunt directè in actum sub lege pœnam illi statuentem positum inducendo obligationem conscientie ad illum cavendum; sed solum ad subeundam pœnam in casu deprehensi violatoris, eamque in vindictam publicam, aliis in exemplum, causâ boni communis, ne impunita maneant delicta, & eorum inquisitio, ubi justè suscipitur; de quo V. dicta *l. 1. tit. 2. de constitut.* ubi egimus de lege pœnali; his positis:

1961. Resp. ad doctrinam à nonnullis traditam, tales carcerum effractores, & fugitivos, ubi deprehensi fuerint, non posse pœnâ ordinariâ puniri ex præsumpta confessione, tanquam Reos criminis, propter quod incarcerati fuerant; nec exinde crimen plenè probari; cum alia valde probabilis causa fugiendi allegari possit, videlicet ad liberandum se à molestiis carceris, & periculis imminentibus. Hinc seclutis aliis indiciis criminis, ad summum facit præsumptionem ejus, sed juristantum, probatione contrariâ elidibilem; quamvis puniri possint pœnâ effractioni decretâ, propter culpam duntaxat civilem, sed solum, in quantum talis

effractio delictum

est.

§§§ 2

AR.



## ARTICULUS III.

*Qualiter obliget lex fundata in præsumptione?*

1962. **C**ommunis doctrina est, ut notavimus lib. 1. tit. 2. quasdam leges statuere præcipiendo, vel prohibendo aliquid ex præsumptione vel alicujus *facti*, vel *communis*, & *ferè semper annexi probabilis periculi*; sic dantur plures canones, qui jure antiquo statuerunt sponsalia de futuro, secutâ inter sponfos copulâ transivisse in matrimonium, quia præsumebant intervenisse affectum, & consensum conjugalem de præfenti, qui jure antiquo sufficiebat ad valorem matrimonii, esto simpliciter clandestini; sic statutum fuit, ut liberi haberentur pro illegitimis, qui nati sunt ex matrimonio, prætermis culpabiliter denuntiationibus, etiam ignoranter à parentibus celebrato in gradu prohibito; quia jus propter illam culpam præsumit illos vel non fuisse expertes scientiæ, vel affectatores ignorantia, quòd subesset impedimentum gradus prohibiti. Talis lex continetur in decreto Tridentini irritante matrimonia sine præfentia Parochi, & testium inita; vel professionem religiosam ante completum 16. ætatis annum; nam utraq; fundatur in præsumptione probabilis periculi; ista, quòd nondum in tali proficiente adfit sufficiens judicii maturitas; illa, quòd scilicet clandestinè contrahentes, recesserint à conjugio validè inito, & convolaverint ad complexus adulterinos, à quibus averti non poterant, quia matrimonium ab illis initum [utpote simpliciter clandestinè celebratum] Ecclesiæ constare non poterat; consequenter nec cogi, ut ad primum reverterentur.

1963. Quòd lex, vel sententia, quæ fundatur, seu procedit ex præsumptione solius *facti*, non obliget in conscientia,

quando constat de *falsitate* talis præsumptionis, communis tenet; id, quòd etiam verum est in foro externo; hinc, qui per sententiam Judicis condemnatus est ad solvendum debitum, quòd quidem certò contractum est, sed ex meris præsumptionibus probatur, *necdum esse solutum*, nec in foro quidem externo justè cogi potest ad solvendum, si in eodem clarè doceat, factam solutionem, atque adeo probationum, ac præsumptionum falsitatem; nam in tali casu non intercedit fictio juris, vi cujus etiam indubitato falsum habetur pro vero ad certos juris effectus, ut notavimus superius. Quoniam verò, ubi lex fundatur in præsumptione *communis periculi*, [v. g. intercurrentis fraudis] esto quandoque contrarium contingat in casu particulari, non cessat *commune periculum*, consequenter nec veritas præsumptionis, satis frequens Doctorum sententia est, nec cessare legem; atque adeo, quando lex irritat aliquem actû [v. g. testamentum sine juris solennitate conditum] quia præsumit communiter adesse periculum fraudis, nisi dictæ solennitates intervenierint, volunt irritum censendum esse testamentum sic conditum, esto in testamento Titii, sine juris solennitate condito, nulla omnino fraus intervenerit, quia per hoc, quòd *in hoc* testamento non adfit ulla fraus, non evadit falsa præsumptio, dicens, *communiter adesse tale periculum*.

Hoc non obstante, diversæ sunt Doctorum opiniones in quæstione proposita, propter exempla, quæ adducunt, militantia in favorem cujusque partis. Quidam enim volunt, legem, quæ aliquid disponit, inductam ex præsumptione communis, ac generalis periculi, *in neutro foro cessare*, etiam si contingat non adesse *in casu particulari*, quòd aliàs communiter fit; qualis est dispositio irritans matrimonia simpliciter clandestinè contracta; vel professionem religiosam ante annum 16. ætatis completum emissam, ut sæpius dictum est; alii autem adducunt leges, quæ pariter disponunt aliquid, inductæ ex præsum-



sumptione communis, & generalis periculi, & tamen cessant in foro conscientiæ, si contingat etiam in casu particulari abesse id, quod præsumitur; his legibus annumerant illam juris dispositionem, quæ habetur in c. *Veniens* 15. & c. *qui fidem* 30. de sponsalib. ubi habetur, quod sponsalia de futuro censeantur transiisse in matrimonium, secuta copulâ carnali, ob juris præsumptionem, quod sponsi, non animo fornicario, sed conjugali affectu se cognoverint.

1965.

Tamet si enim hæc præsumptio, ex qua procedit juris dispositio in dictis capitulis contenta, sit præsumptio *juris de jure*; consequenter non facile admitat probationem, saltem directè contrariam; tamen, si sponsus sciat, hanc præsumptionem juris esse falsam, seque non animo consentiendi in matrimonium congressum esse cum sponsa; ideoque aliam postea uxorem duxerit, quamvis illicitè, & cum injuria prioris sponsæ: hoc casu, posterius matrimonium erit validum, & non prius, falsâ præsumptione nixum. Idque hodie adhuc observari debet in iis locis, in quibus Concilium Trident. *sess. 24. c. 1. de reform. matr.* requirens ad valorem matrimonii, Parochi, actestium præsentiam, non est receptum; ita in terminis Pirhing *de præsumpt. num. 53. §. Exemplum*: Eisdem legibus à n. 54. annumerat complures alias dispositiones juris ex præsumptione procedentes. Rationem porro discriminis inter has, & illas leges tradit ex distinctione, quam habent ex causa, ex qua Legislator inducitur ad illas condendas. Hinc docet, legem, quæ ex generali præsumptione fraudis, interdum intervenientis, *tanquam causa solum impulsiva* aliquid statuit, non cessare, etsi in casu particulari omnis suspicio fraudis absit, nisi cesset etiam in communi, & universaliter: sed eam tantum legem in præsumptione fundatam esse, & cognitâ veritate cessare, *cujus formale motivum, & causa finalis est præsumptio alicujus rei; sive per quam*

statuitur, & *Judici præcipitur, ut in quovis particulari casu, secundum fraudis præsumptionem, à jure sive lege factam, sententiam ferat.*

Hac regulâ sic propositâ plura confectaria facit. 1. eum, qui injustè condemnatus sit, non teneri parere tali sententiæ, quam lex præsumit esse justam, si constet ipsi, eam esse injustam, nisi præcepto Judicis compellatur; Innocent. in c. *Quia plerique*, 8. num. 3. de immunit. Eccles. Menoch. l. 1. de præsumpt. q. 80. num. 1. Secundo, si quis dato chirographo fateatur, se accepisse à Titio certam pecuniæ summam sibi mutuam, spe securitæ mox numerationis, & deinde nihil ei numeretur: etsi post elapsam biennium, præsumptio juris, & de jure stet contra ipsum, pecuniam numeratam esse: si tamen sciat, nihil sibi numeratum esse, non teneri creditori aliquid solvere, saltem ante Judicis sententiam jubentis solvere; Innoc. loc. cit. numer. 2. Menoch. cit. numer. 2.

1966.

Tertio, si quis electus sit ad Prælaturam aliquam, consentiente majore parte Electorum, seu Capitularium, etiam si alias non sit observata debita forma eligendi requisita jure positivo; tamen in foro conscientiæ tutus est electus, nec tenetur renuntiare suâ sponte electioni. Sylvest. in *summ. V. electio*. l. q. 10. num. 11. Menoch. cit. numer. 3. Layman. l. 1. tit. 4. c. 16. n. 9. nam illa eligendi forma fuit à jure præscripta, ob præsumptas fraudes, quæ committi solent: eum ergo constat de veritate, nullam fraudem commissam esse, cessat illa præsumptio. Quarto, tametsi hæres, qui non confecit inventarium, teneatur etiam ultra vires hæreditarias, ob præsumptionem juris, quod nimirum quædam ex bonis hæreditariis occultarit: non tamen, si de contraria veritate ipsi hæredi constet, quod nihil occultarit, tenetur ultra vires hæreditatis: cessat enim tunc illa præsumptio in foro conscientiæ, Menoch. cit. numer. 3. & alii apud ipsum.

1967.

Sss 3

Quin.



1968.

Quintò, constitutionem Concilii Trident. *sess. 25. de regul. c. 19.* statuentem, Religiosum allegantem, professionem suam esse invalidam, si illi intra quinquennium à die professionis reclamatum non fuerit, non esse deinceps audiendum, non obligare in conscientia, si animus professo non fuit professionem ratificare tacendo, seu non reclamando. Navarr. in *comment. 4. de regul. num. 77.* Sextò, si minor 25. annis alienavit bona, sine tutoris auctoritate, vel Prælati bona Ecclesiæ, sine requisita solemnitate, is, qui iusto pretio illa emit, non tenetur in foro conscientia illa restituere, antequam in iudicio repetantur, & contractus iudicis auctoritate rescindatur; Sylvest. in *summ. V. alienatio q. 13. num. 12.* Menoch. *cit. numer. 3.* Layman. *cit. c. 16. n. ult.*

1969.

Septimò, si hæres in testamento minus solenni, seu imperfecto institutus, vel legatarius rem sibi legatam, absque vi, vel fraude consecutus sit, non tenetur in foro conscientia restituere hæreditatem, vel legatum, si constet ipsi de voluntate defuncti testatoris, donec in iudicio ab ipso repetatur. Ratio est; tum quia manet obligatio naturalis, quæ ex voluntate defuncti oritur, & per se sufficiens est ad transferendum Dominium; tum quia lex, quæ solemnitatem in testamentis præscripsit, fundata est in præsumptione fraudis, quæ in ultimis voluntatibus fieri solet, quæ quando cessat, cedit veritati. Sylvest. *V. hereditas 3. q. 7. nu. 9.* Navarr. *lib. 3. consil. 1. de testam.* Menoch. *cit. n. 4.* Layman. *cit. c. 17. n. 4.* Hæc Pirhing *loc. cit.*

1970.

Huic tamen doctrinae, & nonnullis inde consecutariis difficile videtur acquiescere; quia ægrè, præsertim in ordine ad praxin resolvi poterit, cur hæc, & non illa lex [esto utraque procedat ex præsumptione probabilis, aut communis periculi] dicatur fundata in præsumptione? seu, ut exponit Pirhing, cur in ista præsumptio in-

terveniat ut causa solum impulsiva? & in illa, ut motiva, seu finis? tamen etiam verum sit, aliud esse, aliquid fivè præceptivè fivè prohibitivè statui ex hac causa concurrente solum impulsivè (qua nimirum etiam absente adhuc staret lex) v. g. irritum decerni talem contractum, fivè celebratus sit sine hac, vel illa solemnitate juris dispositione requisita; aliud ex hac causa concurrente motivè, & finaliter, qua scilicet non existente, non stat lex; unde tamen id colligamus? indefinitum relinquitur; consequenter etiam, quæ fundatur in præsumptione communi, quæ non? licet utraque procedat, præsumendo, esse probabile, ac commune periculum fraudis v. g. insufficientis maturitatis, &c. si talis actus fiat sine hac, vel illa solemnitate, juris dispositione exigita.

Sit exemplo; lex irritans testamentum sine juris solemnitate confectum, & lex irritans alienationem rei Ecclesiasticæ factam ex justa causa, sed sine juris solemnitate; illa irritat ejusmodi testamentum, quia præsumit, communiter intervenire fraudem ommissis solemnitatibus; ista irritat ejusmodi alienationem, quia præsumit communiter intervenire fraudem, vel læsionem Ecclesiæ ommissis solemnitatibus; legem, quæ irritat testamentum sine solemnitatibus conditum, dicit fundari in præsumptione, consequenter ei locum esse in foro conscientia, etiam ubi in casu particulari habetur veritas, quod in hoc casu nulla fraus intervenerit; legem, quæ irritat alienationem rei Ecclesiasticæ, docet non fundari in præsumptione, consequenter ei locum non esse in foro conscientia, si in casu particulari habetur veritas, quod in illo casu nulla fraus, vel læsio Ecclesiæ intervenerit; prima pars de lege irritante testamentum traditur à Pirhing *h. t. à numer. 55.* altera, *tit. 13. de rebus Ecclesiæ alien. numer. 37.* maxime §. *at verò.*

Si



1971. Si quis jam inquirat, cur illa lex irritans testamentum dicatur fundari in præsumptione, sic, ut etiam contra veritatem obtineat in foro animæ? & cur non irritans ejusmodi alienationem? nam esto respondeas, juxta hujus Auctoris doctrinam relatam n. 1969. quòd ideo, quia ibi præsumptio generalis intervenit, ut *causa impulsiva*; hic autem ut *motiva, & finalis*; vel, ut loquitur tit. 13. de reb. Eccles. alienand. num. 55. §. porro, quia lex de testamento fundatur in præsumptione fraudis, tanquam *causa principali, & adequata* pro foro externo, sic, ut Judex debeat in omnibus casibus occurrentibus procedere, & sententiam ferre; lex autem de dicta alienatione non fundatur in *præsumptione quoad forum animæ*, sed in jure naturæ, in quo præsumptio cedit veritati: esto, inquam, sic respondeas, indefinita tamen adhuc manet dubitatio in questione proposita, cur unum contingat in illa, non in ista lege?

1972. Deinde ex 2. responsione sequi videtur contrarium doctrinæ à dicto Authore traditæ. Nam tit. 13. de reb. Eccles. alien. num. 37. §. porro, respondens ad 1. argumentum contrariæ sententiæ dicentis, [*quòd effectus & obligatio legis, nimirum procedentis ex generali periculo, fraudis v.g. non cesset, etsi suis, & ratio legis in casu particulari cesset.*] ait, distinguendum esse, inter forum externum, & internum; & dictæ regulæ concedit locum esse in foro externo; non in foro animæ, quòd hoc attendat istam regulam in jure naturali fundatam: *præsumptio cessat, ubi de veritate constat*: at hoc contrariari videtur ei; quòd tradit tit. 23. de præsumpt. num. 55. ubi ait, *legem positivam justam, etiam obtinere in foro animæ*; afferens exemplum legis, propter generale periculum fraudis, irritantis testamentum omittis solennitatibus conditum; & dicens, *heredem ab intestato nec in foro conscientie teneri relinquere hereditatem, vel legatum heredi scripto in tali testamento, esto sci-*

*ret, in hoc casu eam fuisse voluntatem Testatoris, ut obveniret heredi, vel legatario scripto*; nam ex hoc habetur, quòd dictæ regulæ, pro qua duplex forum distinguit, locus sit etiam in foro animæ, licet de veritate constet.

Pro resolut. suppon. 1. quòd lex positiva, non servatis solennitatibus à solo jure positivo præscriptis, irritans certa pacta, contractus, vel dispositiones, possit intelligi de irritatione *civili* solum [nimirum ut illis aliter factis solum neget obligationem civilem, seu actionem] vel etiam *naturali*; sic, ut aliter factæ nec naturalem obligationem pariant; id, quòd est communiter receptum inter AA. nam pactis nudis, jure civili, non conceditur civilis obligatio; secus, naturalis; unde, quamvis promissarius à Judice civili non possit jure exigere audientiam, qua in judicio exigit promissum ex promissione simplici acceptatâ; promittens tamen naturaliter, & in conscientia tenetur implere promissum.

Suppon. 2. quòd Legislator, irritans aliquem contractum, vel dispositionem sine juris solennitate celebratum ad hoc inducatur ex multiplici causa, & in multiplici casu; *ex multiplici causa*, ut 1. quia communiter contingit, illâ non observatâ intervenire vel defectum alicujus, sine quo talis contractus, vel dispositio nec jure naturali subsistit; vel etiam actionem aliquam, quæ tale requisitum excludit, vel pervertit, aut corrumpit; sic irritat professionem religiosam, editam ante completum decimum sextum ætatis annum, quia ex defectu maturitatis judicii contingit deficere consensum & animum cum debita deliberatione necessarium etiam jure naturæ ad ineundum ejusmodi contractum cum religione; sic irritat matrimonium inter Raptorem, & raptam initum, dum ipsa adhuc est sub raptoris pote-



potestate, quòd communiter contingat ejusmodi detentionem raptæ impedire consensum spontaneum, pariter necessarium, ut etiam naturaliter subsistat, licet quandoque in casu particulari fallat, & contingat oppositum. Similiter irritat testamentum sine juris solemnitate conditum, quia, licet adfint omnia, quibus positus jure naturali, vel gentium dispositio voluntatis ultimæ subsistit, communiter tamen contingit intervenire fraudem, quæ Testatoris voluntas aliter, quàm expressa sit, scribitur, immutatur, corrumpitur &c. licet quandoque ejusmodi fraudem non intervenisse constet.

1975. Secundò, fieri potest, quòd condatur legem irritantem ex causa, non quòd omiffa solemnitate præscripta, contractus, vel dispositio vitietur intrinsecè, ut dictum est; sed etiam ex aliis finibus, & intervenientiis extrinsecis, quæ, licet non sequantur ex natura rei, naturaliter subsistentis sine tali solemnitate; communiter tamen contingunt fraude, vel malitiâ hominum; unde non tantum plura Republicæ incommoda; sed etiam animæ gravissima, etiam continuata mala nascuntur. Olim enim matrimonia simpliciter clandestinè inira jure naturali, imò & Ecclesiastico tenebant, validaque erant: quia tamen experientiâ Ecclesia didicit, quòd, qui sic clandestinè contraxerunt, relicto legitimo conjugio ab invicem discesserint, & cum aliis contraxerint, viventes per plures etiam annos in complexibus adulterinis; nec ab iis reduci poterant, cum priora conjugia negarent, nec ulla probatione ab Ecclesia convinci poterant, Ecclesia in Tridentino statuit, ut deinceps nulla fidelium matrimonia valerent, nec ad ea ineunda capaces essent, nisi illis assisteret eorum proprius Parochus, cum duobus, vel tribus testibus, aut alius de ipsius licentia Sacerdos; & ita quidem, ut hæc dispositio, procedens ex genera-

li periculo talis iterum recessus ab invicem, & subsequentiis malorum, vim irritationis haberet, etiam si in casu particulari certum esset, nullum in tali casu subesse periculum.

Deinde jus in pluribus casibus adeò vehementer præsumit, quòd in talibus circumstantiis communiter adfit, ac intervenire soleat, quòd de jure necessarium est ad valorem actus, vel ut censeatur purus, ut nec probationem in contrarium admittat; præter alios canones constat hoc aperte ex c. *Is, qui fidem 30. de sponsalib.* ubi Gregorius IX. Episcopo Cenomanensi rescribens ait: is, qui fidem dedit M. mulieri super matrimonio contrahendo, carnali copulâ subsecutâ, etsi in facie Ecclesiæ ducatur aliam, & cognoscat, ad primam redire tenetur: quia, licet præsumptum primum matrimonium videatur, *contra præsumptionem tamen hujusmodi non est probatio admittenda. Ex quo sequitur, quòd nec verum, nec aliquod censetur matrimonium, quòd de facto est postmodum subsecutum.* Ubi nota, quòd Pontifex non dicat, nec verum, nec aliquod esse matrimonium, quòd de facto postmodum est subsecutum; sed *quòd non sit tale censendum*, idque propterea, quòd jus ex talibus circumstantiis inter sponfos de futuro subsecutæ carnalis copulæ, adeò vehementer præsumat, intervenisse affectum conjugalem, seu consensum de præsentis, ut eo ipso non possit non censi contractum verum matrimonium; quo constante, non possit valere secundum.

Aliud exemplum est ex c. *fin. de conditionibus appositis*, ubi dicitur conditiones impossibiles, vel turpes, matrimoniis appositæ *habendas* pro non adjectis; quòd in dubio præsumatur, contrahentes non adjecisse illas animo voluntatem suam eis alligando, sed potius sub conditione reflexa, quòd nimirum nolint eas vim habere, si ma-



matrimonio contrahendo præstarent impedimentum quoad effectum contractus *puri*; & sic in dubio, quo animo appositæ sint? à Iudicibus pronuntiandum esse, de quo plura *lib. 4.* His tamen non obstantibus, in foro conscientiæ, si revera sponsus de futuro sponsam non cognovit affectu maritali, sed fornicario; aut si conditio turpis aut impossibilis revera fuit seriò adjecta, in foro animæ matrimonium illud fuit nullum; & contractus fuit verè conditionatus, esto in foro fori præsumeretur illud matrimonium verum; & contractus iste, purus; & sic de aliis juris dispositionibus in pluribus censent Doctores, ut in præmissis ostensum est.

1978. Tota igitur difficultas est, quænam, & quando, lex, procedens ex præsumptione generalis periculi, vel alterius intervenientis, censenda sit, *non cessare in foro animæ*, esto in casu particulari contingat oppositum ei, quod præsumitur; quæ non? cum revera quædam sint, quæ in tali casu non cessent; quædam, contra, ut ex hæcenus dictis colligi potest. Ratio affirmandi, ejusmodi leges tenere in utroque foro, est ex communi doctrina, quòd lex, cæteroquin justa, procedat etiam in foro animæ, quando non nititur præsumptione falsâ; sed leges irritantes testamenta, vel alienationes rerum Ecclesiasticarum sine solennitatibus propter generale periculum fraudis, vel læsionis sunt leges justæ, & non nituntur præsumptione falsâ, licet in casu particulari contingat abfuisse fraudem, vel læsionem; cum adhuc verum maneat, *communiter intervenire fraudem, vel læsionem*, si fiant sine præscriptis solennitatibus; ergo dictæ leges procedunt etiam in foro animæ, etiam si in casu particulari contingat oppositum ei, quod præsumitur. Ratio autem negandi sumitur ex instantiis hæcenus allatis, quibus diversi Authores negant, ejusmodi legibus esse locum in foro animæ.

1979. Mihi dicendum viderur, in utroque

Tom. II.

foro locum esse Sacris canonibus, irritantibus absolute actum aliquem, vel contractum, aut dispositionem, sine præscriptis solennitatibus, quando procedunt ex præsumptione, *quòd illis ommissis generaliter, seu communiter deficiat aliquid, sine quo actus nec jure naturali subsistit*, etiam si contingat in casu particulari hic, & nunc, defectum illum non intervenire; hanc sententiam existimo esse communem; nam, quòd Ecclesia possit actus, de se naturaliter subsistentes, sic irritare, ut nec pariant obligationem conscientiæ, seu naturalem, communis tenet; & constat ex decretis, quibus irritat professionem religiosam ante annum ætatis 16. completum emissam. Quamvis enim in casu particulari contingat abesse defectum sufficientis maturitatis; talis tamen professio, nullam etiam conscientiæ obligationem, ad religionem, producit, etiam si nihil desit eorum, sine quibus naturaliter non subsisterent; quia lex talem actum absolute irritat ex probabili periculo intervenientis illius defectus, si fiat ante dictam ætatem.

Dicendum 2. idem tenendum, quando Ecclesia absolute irritat aliquem actum, contractum, vel dispositionem, sine præscripta solennitate, quando procedit ex præsumptione communis periculi *gravium peccatorum*, si talis actus, contractus, vel dispositio etiam ommissa tali solennitate naturaliter teneret; nam ideo matrimonia simpliciter clandestina, quantumvis aliàs jure naturæ subsistentia, Tridentinum omnino irrita statuit, & declarat, ita quidem, ut etiam si constaret, quòd Titius & Caia nullo alio juris impedimento innotati contraxissent, contractu habente omnia de jure naturæ, ac gentium requisita, nihilominus etiam in foro conscientiæ irritus esset, si contraxissent sine Parocho & Testibus, in loco, ubi decretum Tridentini, irritantis talia matrimonia promulgatum est, ac usque receptum; quia per casum particularem non evadit falsa præsumptio communis periculi, sequentium ex talibus

1980.

Ttt

III



matrimonii peccatorum, valde gravium, & continuantium, ex qua processit Concilium, ut absolute irrita decerneret ejusmodi matrimonia.

1981.

Dicendum. 3. idem dicendum, quando ex præsumptione communis, seu generalis periculi Ecclesia aliquem expresse reddit *inhabilem* sine præscriptis solennitatibus ad celebrandum aliquem actum, contractum, vel dispositionem. Nam inhabilis ad agendum, contrahendum, vel disponendum, nulliter eo ipso agit, contrahit, aut disponit, prout contingit in quolibet effectu, ubi deest capacitas subjecti, vel principii, ut constat ex Trid. quod omnes Christi fideles expresse reddit inhabiles ad contrahendum sine forma à se præscripta propter præsumptionem communis periculi nascentium peccatorum ex matrimonio aliter contracto; & quoniam ad æquata ratio illius decreti [in qua ipsum fundatur, nempe *illud commune periculum tantorum scelerum*, quod præsumitur communiter intervenire] adhuc perstat, etiamsi in particulari fallat, etiam perstat ipsum decretum, procedens, seu conditum ex tali præsumptione; communis porrò doctrina est, quòd etiam lex positiva procedat in foro conscientie, quando non nititur præsumptione falsa, vel non decernit pœnas; ergo.

1982.

Dicendum. 4. quando lex, procedens ex generali præsumptione decernit aliquem actum, contractum, vel dispositionem in, vel sine talibus circumstantiis *habendum*, vel *consensendum* esse validum, vel invalidum, legi non esse locum in foro conscientie, ubi constat etiam in casu particulari de veritate, nimirum intervenisse, vel non intervenisse omnia, quæ ad actus, contractus, vel dispositionis validitatem, naturaliter adesse debent. Ostenditur primum exemplis; nam in *c. fin. de condit. apposis*, decernitur, contractum matrimonii celebratum sub conditione turpi, vel impossibili, *habendum esse pro contractu puro*, ac ejusmodi conditionem, tanquam non esset à contrahentibus apposita; & hoc ex generali præsumptione, quòd apponentes eam apponant sub condi-

tione reflexa, nimirum, quòd si obesse intentioni, & in dubio, quo animo sit apposita conditio directa, à Judice Ecclesiastico rejicienda sit, nolint ei voluntatem suam esse alligatam, ut exposuimus *l. 4. de condit. apposit.* & tamen si in casu particulari constaret, quòd contrahens sub ea conditione, revera noluerit consensum valere ante conditionis eventum, tale matrimonium non esset purum, sed merè conditionatum, ut tenet communis.

Similiter, etsi jure antiquo in foro externo sponsalia de futuro securà inter sponsos carnali copulà censerentur tanquam verum matrimonium, etiam præsumptione juris de jure, adeò vehementer, ut licet sponsus postea cum alia per verba de præsentem etiam in facie Ecclesie contraxerit, & cum ea matrimonium consummaverit, hoc tamen nec verum, nec aliquod censeretur matrimonium, ut habetur in *c. is, qui fidem, 30. de sponsal.* neque aliter Judex pronuntiare posset, idque ex generali præsumptione, copulam illam esse inter eos habitam affectu maritali [qui olim sufficiebat ad matrimonium, esto clandestinum esset] non autem fornicario; quia peccatum non præsumitur: si tamen revera constabat, non affectu maritali, sed merè fornicario habitam [quod utique saltem in conscientia ipsis constare potuit] non erat verum matrimonium; præsumptio enim etiam juris de jure cedit veritati (aliàs includeret fictionem) & quantumcunque præsumeretur consensus maritalis, si tamen re ipsa non intervenit, matrimonium *existimari* potuit, *esse* non potuit. Unde vim ampliore non habet, nisi dum contrarium constat; ergo ubi contrarium *constat*, et locus non est, nec dispositioni juris in eo fundatæ. Communissimū est, & generalis præsumptio pro Judice, vel Superiore præcipiente, adeò quidem, ut in dubio de rectitudine sententie, vel præcepti, semper pronuntiandum sit pro Judice, vel Superiore; si tamen constat præceptum esse injustum vel ex parte præcipientis, vel ex parte subditi, vel ex parte rei præceptæ [de quibus egimus *l. 1. de Constitut.*] nul-

1983.

late-



latenus teneret, & salvâ conscientia subditus non pareret.

1984. Ratio horum est, quia nulla lex obligat ultra intentionem legislatoris; ergo, quando lex procedens ex generali præsumptione decernit, aliquem actum esse *habendum*, vel *consendum* in, vel sine talibus circumstantiis validum, vel invalidum, tali legi non est locus, ubi conitat de veritate, quòd talis non sit, qualis *habendus*, vel *consensus* decernitur; probatur conseq. quia sic lex obligaret ultra intentionem Legislatoris; tali enim casu præsumptio, ex qua procedit, non movet Legislatorem, ad statuendum absolute, quòd actus in, vel sine talibus circumstantiis factus *talis sit*, sed solum, quòd talis *consenseri*, & *haberi debeat*, donec *constet contrarium*; ergo non intendit, ut tali casu, quo conitat de veritate, talis habeatur, quòd fieri non posset sine fictione; ergo si diceretur, etiam tali casu adhuc esse locum legi, hæc porrigeretur ultra intentionem legislatoris. Unde plurimæ leges, etiam ex generali præsumptione irritant actum sine præscriptis solemnitatibus gestum, directe respiciunt Judicem fori externi, ac eum præcipiendo instruunt de sententiando in foro externo, ubi raro veritas constat, & solum præsumptionibus agitur, ut nimirum, nisi contrarium constet, pronuntiet secundum legem in tali præsumptione fundatam. Cum autem in foro animæ longè facilius veritas habeatur; in eo foro legi locus non erit, consequenter nec actus *naturaliter* irritus; esto aliud sit, *civiliter*.

1985. Dices: ergo si legatario scripto in testamento, sine solemnitate juris condito, certo constaret, usque ad mortem Testatoris, indubitato fuisse hanc ejus voluntatem, ut iste habeat hoc legatum in eo testamento pro se constitutum, licet in conscientia retineret, etiam si in foro externo pronuntiaretur irritum ejusmodi testamentum. R. concedendo, quòd licet retineret, quousque per sententiam Judicis co-

Tom. II.

geretur illud reddere hæredi ab intestato; nam justæ Judicis sententiæ, etiam in foro animæ parendum est; at sententia, qua Judex illum cogeret ad reddendum hæredi ab intestato, justa esset; foret etiam conformis legi propter commune bonum, & ad vitandas fraudes justè statuenti, ut Judex hæreditatem adjudicet hæredi ab intestato, quando non extat testamentum; vel, si extat, jure nullum est, donec ipsi contrarium constet de Testatoris voluntate nullo fraudis intervenitu in Scriptis expressâ; at in dato Judici hoc non constaret, ut ponit casus; ergo.

1986. Magnum igitur discrimen est etiam inter ipsas leges ex communi, seu generali præsumptione conditas; quibus decernitur aliquem actum esse *habendum*, seu *consendum* validum, vel non validum; & inter illas, quibus decernitur aliquem actum *esse*, vel *non esse* validum. Secundò inter has ipsas etiam postremas, quibus decernitur aliquem actum *esse*, vel *non esse* validum, decreto seu lege directe respiciente *actum*, de quo agit juris dispositio; vel directe respiciente *Judicem*, quid in casu motæ controversiæ super tali actu pronuntiet? nam etiam in hoc casu dispositio legis decernens, actum esse, vel non esse validum, perinde se habet, ac si diceret, actum tunc *habendum*, vel *consendum* talem, qualis præsumitur, *dum constet contrarium*; secus est, si lex directe respicit actum, super quo cadit, & absolute decernit, *esse*, vel *non esse* validum.

#### ARTICULUS IV.

##### *Respondetur ad contraria.*

1987. Dices i. communis doctrina tener, quòd, si lex procedens ex probabili, seu communi periculo, actum aliquem irritum statuât, legi sit locus non tantum in foro fori, seu externo; sed etiam in foro poli, seu interno, & animæ; cuius ratio est ex recepto principio, quòd dispositio etiam juris positivi etiam lo-

Tit. 2

cunt



cum habeat in foro poli, nisi fundetur in præsumptione, de cuius falsitate constet in foro poli: at ex conclusionibus hætenus traditis apparet, contrarium dici; probatur: nam etsi jura antiqua ex præsumptione generali consensus maritalis de præsentis communiter intervenientis, statuerint sponsalia de futuro transivisse in matrimonium, secutâ, inter sponsos de futuro, carnali copulâ; & veritas præsumptionis non cesset, esto in casu particulari contingat, copulam illam inter sponsos de futuro esse exercitam non animo maritali, sed fornicario: nos nihilominus n. 1983. dicimus, si in hoc casu certò constaret sponso, se revera nullo prorsus animo, vel intentione maritali, seu consensu de præsentis, sed merè fornicariè copulam cum sua sponsa habuisse, legi non esse locum, & si sub hoc cum alia contraheret in facie Ecclesiæ per verba de præsentis, hoc subsecutum matrimonium in foro conscientiæ fore validum, æsto Judex in foro externo contrarium pronuntiaret; & sic in pluribus locis supr.

R. me admittere communem doctrinam, quòd dispositioni legis, ex præsumptione probabilis, seu communis periculi, aliquid statuentis etiam in foro poli sit locus, quamdiu stat veritas præsumptionis, hoc vel illud communiter contingentis; non tamen aliter, quàm lex disponat. Hinc datâ major: N. min. ad prob. Resp. quòd canones disponentes sponsalia de futuro transivisse in matrimonium secutâ inter sponsos de futuro carnali copulâ, stante veritate, quòd communiter interveniat consensus, seu affectus maritalis, quando sponsi de futuro exercent copulam, etiam si contrarium contingat in casu particulari, habeant locum juxta eorum canonum dispositionem, nimirum, tali casu dicta sponsalia in dubio *habenda*, seu *consenda* esse tanquam matrimonium, nec aliter à *Judice* pronuntiandum; dum *contrarium constet*; sed ex hoc, quòd dicamus *non esse matrimonium* in foro conscientiæ, si in eo constet, non intervenisse affectum *maritalem* in copula habita à sponsis

de futuro, nihil dicitur *contra illam dispositionem*; primò, quia diversa sunt, in tali casu: quia communiter intervenit affectus maritalis, sponsalia *habenda sunt pro matrimonio*, dum contrarium constet; & in tali casu, licet in re non intervenierit affectus maritalis, ea sponsalia *sunt matrimonium*; & primum stat etiam admissò secundo; quia verissimum esse potest, in talibus circumstantiis, *communiter hoc fieri, & in dubio merito censeri* etiam nunc factum, quamdiu contrarium non constat; esto etiam verum sit, *non esse factum hic & nunc*, quod alias communiter sit, si nimirum hoc constat: at, si stet hoc secundum, revera non est in conscientia, & coram Deo matrimonium, licet alii, quibus non constat, non intervenisse affectum maritalem, imò & Judex, debeat censere transivisse in matrimonium; quo salva stat tota dispositio juris in dictis canonibus.

Instabis: si sponsus de futuro, post copulam cum sponsa, securus est in foro conscientiæ de non matrimonio cum illa, quando illi certò constat, ipsam non esse à se cognitam affectu maritali, non obstante lege, quæ generaliter præsumit, tali casu intervenire affectum maritalem; etiam rapta in foro conscientiæ secuta erit de matrimonio cum Raptore contracto, dum adhuc est in potestate Raptoris, quando illi certò constat, se non contraxisse ex ullo metu, vel vi, sed prorsus libenter, ac omnino sponte, non obstante lege, quæ generaliter præsumit, tali casu intervenire defectum consensus liberi, prout exigitur ad libertatem matrimonii. Resp. N. conseq. 1. quia etsi utrobique sit præsumptio communiter contingentis rem sic fieri, vel non fieri, prout præsumitur, nimirum ibi communiter intervenire *affectum maritalem*; hic autem *defectum libertatis*, prout requiritur: aliter tamen lex disponit ibi; aliter, hic: ibi disponit *habendum esse pro matrimonio*; non autem, *esse matrimonium*; hic autem simpliciter disponit *non esse matrimonium*: stat autem, *haberi pro matrimonio, & non esse matrimonium*.



monium; non autem, non esse matrimonium, & esse matrimonium.

1989. Secundo, ibi legis dispositio rectè dirigitur ad Judicem, statuendo, ut pronuntiet secundum præsumptionem; hic autem rectatendit ad actum, vel contractum matrimonii, annullando illum, non præcisè intuitu præsumptionis de defectu libertatis, sed etiam in pœnam raptus decernendo nullitatem actus, reddendo inhabilem ad aliter contrahendum, & contractum reddendo non legitimum seclusâ circumstantiâ [quòd sit extra potestatem Raptoris] in initio à Rapto & Rapta, qualiter id contingit, si contractus matrimonii celebretur sine Parocho, & Testibus in loco, ubi viget illud Tridentini decretum; unde sumitur tertium discrimen, quòd argumentum fiat à jure merè dispositivo quoad munus Judicis, pronuntiandum in tali casu, ad jus dispositivum pœnaliter; 4. à jure disponente solum sub conditione, ut sponsalia in eo casu habeantur, si non constet contrarium, ad jus disponens absolutè, nullum esse contractum in tali circumstantia.

1990. Accedit, quòd lex etiam canonica statuendo; contractum sine tali circumstantia celebratum, non esse contractum legitimum, eo ipso etiam statuere possit, matrimonium sine tali circumstantia celebratum, non esse verum matrimonium etiam in ratione Sacramenti, etiam si talis contractus cæteroquin habeat omnia, quibus positus ejusmodi contractus alioquin jure naturæ teneret: non autem possit facere, ut sit legitimus contractus, consequenter verum matrimonii Sacramentum, si deficit consensus, sine quo nec jure naturæ subsisteret talis contractus: antecedentis prima pars aperte constat ex decreto Tridentini, simpliciter clandestina matrimonia irritantis, si celebrata sint, sine præsentia Parochi, & Testium in loco, ubi hoc decretum Tridentini viget; altera pars aliunde certa est. Non igitur rectè sumitur argumentum ab uno ad alterum, prout intendit instantia facta in n. 1988. quia si affectus

maritalis non intervenit in casu copulæ post sponsalia de futuro à sponsis habitæ, nullum est matrimonium, quantumcunque præsumatur generaliter, & communiter intervenire; quia talis præsumptio non potest rationabiliter inducere Legislatorem ad condendam legem, vi cujus habeatur pro consentiente, qui non consensit, nisi procedat fingendo, non autem merè præsumendo: e contra præsumptio, quòd, ubi rapta manet sub potestate Raptoris, communiter interveniat defectus legitimi consensus ad matrimonium necessarii, potest rationabiliter inducere Legislatorem ad condendam legem, vi cujus contractus aliquis non fit legitimus, non observatâ circumstantiâ præscriptâ, consequenter nec fit matrimonium; ergo.

Dices. 2. ergo nec is, in quem ex justa causa, sed sine juris solemnitate res Ecclesiastica indebitè alienata est, in conscientia tenebitur ad eam Ecclesiæ restituendam, etiam ante Judicis sententiam, si certo sciat, in eo contractu nullam fraudem, nullam Ecclesiæ læsionem intervenisse, licet lex canonica talem alienationem, ex præsumptione generali fraudis, & læsionis decernat esse irritam, & nullam; cum contrarium statuerimus supra docentes, ei legi esse locum in utroque foro, esto in casu particulari constet veritas, quòd nulla fraus, vel læsio intercesserit; quia manet adhuc verum, quòd communiter interveniat: sed hoc dici non potest; ergo: subsumpta probatur: Legatarius in testamento, sine solemnitatibus condito scriptus, in conscientia tenetur ad legatum Hæredi ab intestato restituendum etiam ante Judicis sententiam, etiam si certo sciat in eo testamento nullam fraudem intervenisse, sed fuisse constantem defuncti Testatoris voluntatem, ut ipse habeat, licet lex talem ultimæ voluntatis dispositionem, ex præsumptione generali fraudis decernat esse irritam, ac nullam, ergo etiam ille alienatarius; cum utrobique per omnia par sit ratio, & legis dispositio.

T t t 3

Resp.



Resp. C. illatum, propter dictatit. 13. subsumptam autem nego: ad hujus prob. C. ant. N. conseq. & appositam ibidem rationem. Verum est, quod utrobique propter commune periculum fraudis, vel læsionis, & Sacri canones alienationem rerum Ecclesiasticarum; & leges testamentum, sine solennitatibus conditum irritent; verum etiam est, quod in utroque pro casu particulari contingere possit, quod nec in alienatione, nec in testamento intervenit fraus, vel læsio; adeoque adhuc vera maneat præsumptio generalis, dicens *communiter intervenire fraudem, vel læsionem*: si tamen canones, & leges, non eodem modo disponunt de illis actibus [puta, si canones absolute irritent etiam *naturaliter*, leges autem solum *civiliter*] certum videtur, non recte fieri argumentum ab alienatione ad testamentum; & vicissim. Quod autem non eodem modo disposuerint in hoc casu, suadetur. i. ex fine, quem directe respicit potestas *Ecclesiastica, & laica*; illa enim directe respicit *Religionem*, seu divinum cultum, & *salutem animarum*; ista verò, solum temporalem Reipublicæ felicitatem; & utraque in condendis legibus attendit, ut plus obligare nolit, quam exigat finis, quem directe quærit: at felicitati temporali satisficit, irritatione testamenti solum pro externo foro ante Judicis sententiam, sic, ut is, qui ex tali testamento *civiliter* irritum aliquid habet, per sententiam Judicis cogi possit ad illud restituendum hæredi ab intestato, cum ipsius non sit *directè* attendere forum poli, seu animæ: secus autem est de fine, quem *directè* quærit potestas Sacra; hæc enim *directè* attendit forum animæ, & divinum cultum, cui maxime nocent fraudes, ac læsiones in bonis temporalibus, Deo dicatis ad conservationem, & propagationem divini cultus; ergo. Aliud ergo est velle cavere fraudes, & iniquas læsiones, in quantum nocent temporali hominum felicitati; aliud, in quantum lædunt animam, & Dei cultum; ad illud obtinendum, sufficit *irritatio civilis*, ut expo-

suimus; ad istud autem requiritur *etiam naturalis* ex ratione jam facta; his positis:

Resp. quando dicitur, quod lex fan-  
data in præsumptione communis peri-  
culi habeat locum etiam in foro consci-  
entia, nec cesset, esto in casu particu-  
lari non contingat, ex cuius præsum-  
pto communi periculo lex procedit, ve-  
rum esse universaliter *juxta intentionem legis*; non autem secus; quoniam  
autem leges irritantes aliquem actum  
propter commune periculum fraudis  
directè solum irritant actus *civiliter*, ut  
exposuimus; canones autem, *natura-  
liter*; & illa, & ista stabit, etiam si con-  
trarium contingat in casu particulari;  
unde etiam Legatarius ex testamento  
civiliter irritum in conscientia tenebitur  
restituere legatum hæredi ab intestato  
post sententiam Judicis (nam ad hoc  
solum porrigitur *civilis irritatio* per leges)  
(etiam si certo sciat, nullam in tes-  
tamento fraudem intervenisse, ac de-  
functum usque ad mortem perseverasse  
in hac voluntate, ut ipse Legatarius  
sit, bono communi, seu temporali felici-  
tate sic exigente: secus est in aliena-  
tario, in quem res Ecclesiastica imme-  
diatè translata est; quia canones in e-  
jusmodi alienationis irritatione direc-  
tè respiciunt conscientiam, nempe  
æternam salutem animarum, & Reli-  
gionem; quo meritò inferitur, ejus-  
modi alienationes etiam *naturaliter*,  
& in conscientia, irritari absolute, cui  
magno argumento est, quod repeten-  
tibus bona indebitè alienata, negent  
opponi posse ullam exceptionem etiam  
in foro externo, ut notavimus su-  
pra.

Ad consecratoria, de quibus n. 1966. R.  
ad. i. concedendo, quod injultè conde-  
mnatus non teneatur in foro animæ  
parere illi sententiæ, si certus sit de in-  
justitia, etiam si lex præsumat commu-  
niter pro justitia Judicis; id verò, quod  
addit ibid., Pirhing, nempe [*nisi præce-  
pto Judicis compellatur*] videtur limi-  
tandum, ut non procedat, si obediendo



do Judicis præcepto, peccandum foret. Nam mulier v. g. quæ certa est, se nunquam consensisse in Titium, esto in foro externo per sententiam Judicis condemnaretur, ac etiam per censuras compelleretur ad cohabitandum Titio tanquam vero, ac legitimo marito suo, nullo Judicis præcepto in conscientia teneretur conjugii usu cohabitare Titio, utpote certa de nullitate matrimonii; quo casu usus conjugii merè putativi, & hoc certo scienti, indubiè peccatū foret.

1994. Ad 2. in eod. n. 1966. concedo *putativum* illum debitorem, contra quem stat præsumptio juris de jure, acceptæ, ac à mutuante ipsi numeratæ pecuniæ, in foro animæ non teneri ad solutionem ante Judicis sententiam; post hanc autem solum (si non possit contraria probatione elidere illam præsumptionem) etiam in conscientia debere acquiescere præcepto Judicis, solutione materiali; quin tamen obligetur eam facere animo transferendi dominium in alterum; nam iste animus non cadit sub præceptum, saltem directè.

1995. Ad 3. in n. 1967. videri negandum illud confectarium, ubi servari debet electionis forma in electionibus præscripta. Nam esto in tali casu particulari fraus non intervenierit, per hoc non constat de falsitate præsumptionis, quòd in electionibus sine forma præscripta celebratis, *communiter fraus interveniat*; quo sacri canones actum irritant absolute, ac naturaliter, ut diximus lib. 3. de Elect.

Ad 4. ibid. Resp. verum esse, hæredem ante Judicis sententiam non teneri ad aliquid ultra vires hæreditatis; secus tamen post; lex enim justa est, & ex fallentia in casu particulari non cessat etiam in conscientia, quòd ad vim obligandi ex mente Legislatoris, ut ostendimus in casu de Legatario scripto in testamento civiliter nullo.

1996. Ad 5. ibid. Resp. aliud non sequi ex ea constitutione, quam professionem tali casu *consensendam* esse validam; hinc merito, ubi taliter professio constat, quòd tacendo voluerit ratificare professionem, prius nulliter emissam; nec enim

ea Concilii constitutio dicit, *esse validam, sed censendam* esse validam, nimirum donec constet contrarium, ut in simili dixi supra. Ad 6. Resp. quòd ibi affertur de casu alienationis, rectius negari, ex dictis; alterum autem de illo, in quem Minor sine Tutoris auctoritate bona alienavit, concedi, ex eadem ratione, qua diximus supra, de Legatario ex testamento civiliter nullo. Ad 7. autem constat jam ex dict.

## ARTICULUS V.

## De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

Cum sæpius per decursum dictum sit, quasdam dari præsumptiones [quas *juris* & *de jure* vocant] contra quas non admittatur probatio; & tamen magna sit inæqualitas inter ipsas præsumptiones, quæstio. 1. esse potest, an omnino nulla contra illas admittatur probatio? 2. quæ ex alterutra potior habenda sit in concursu præsumptionum contrariarum? Ad 1. Resp. verum esse, quòd contra dictas præsumptiones non admittatur probatio, sed solum *loquendo, regulariter*; fallit enim in propria confessione judiciali; hæc enim dicitur probatio probata; & adversarium liberat ab onere probandi; ac est spontanea renuntiatio præsumptionis, quam pro se habet renuntians; Nec obstat, quòd propria confessio sponsum de furore, se animo fornicario habuisse copulam, non elidat præsumptionem juris, & de jure pro affectu maritali; quia etiam in suum præjudicium confitendo *affectum maritalem*, non possunt facere, quòd talis fuerit, atque adeo sit, quòd præsumitur; in aliis autem bonis cedere possunt, & sibi præjudicare.

Ad 2. Resp. 1. præsumptionem, quæ stat pro valore actus, cæteris paribus prævalere præsumptioni contra valorem, saltem in favorabilibus; & eam, quæ fundatur in his, quæ sunt de substantia actus præferri cæteris paribus illi, quæ fundatur in defectu solennitatum; ratio primi est ex L. *quoties 12. ff. de rebus dubiis*, ibi: *quoties in actionibus, aut exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum est, id accipi, quo*



quo res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat; ratio secundi est; quia in casu, quo quæritur, an defunctus voluerit facere testamentum, si reperitur eius scriptura, ubi expressit heredem, esto solennitates aliæ non intervenerint? responsio affirmativa probabilior est ex præsumptione, fundata in eo, quod eum scripserit heredem; hoc enim est de substantia testamenti; & præfertur præsumptioni contrariæ, quæ fundatur in defectu solennitatum.

Resp. 2. præsumptionem specialiorum prævalere præsumptioni magis generali [nam licet ex damno dato generaliter præsumatur, esse datum à vicino; si tamen iste est vir, communi hominum æstimatione illæ sæ dignitatis, & vir integer, habet pro se præsumptionem specialem, ac elidit alteram] & præsumptionem, quæ conducit majori animæ securitati, prævalere contrariæ; ut si quis in censura constitutus est, esto dicat se absolutum, præ-

sumitur tamen existens in censura, dum probatione contraria elidat præsumptionem animæ plus faventem.

Resp. 3. etsi in casu, quo Titius Caio minatus est mortem, & hic deinde reperiatur occisus ignorato homicida, præsumptio sit contra Titium; si tamen is probet naturalem impotentiam [v. g. se tali tempore nec fuisse in eo loco, atque adeo naturaliter fieri non potuisse à se illud homicidium] habet præsumptionem pro se, fundatam in naturali impotentia; quæ utique prævalet humanis conjecturis. Hæc Haunold, tom. 5. de jure & just. tr. 4. à num. 643. ubi etiam tradit præsumptionem, quod quis voluerit operari secundum jus commune, quando poterat operari ex jure speciali v. g. privilegio, prævalere contra istam; ita ille; multistamen limitationibus subsunt hæc regulæ, cum applicantur in casu particulari; quamvis deservire possint, quamdiu non probatur fallentia.

## QVÆSTIO XXIV.

### IN TIT. XXIV. DE JURE JURANDO.

2000. **P**ostquam actum est de probationibus in genere; tum etiam eâ, quæ in specie fit per testes, instrumenta, & præsumptiones; hoc titulo agitur de alia probationum specie, quæ fit per jusjurandum; nam *jurisjurandi religio est maximum remedium expediendarum litium*, L. 1. ff. de jurejurando. Cum enim frequenter deficient aliæ probationes; imò & attestations quandoque non habeant eam vim, ut circa periculum falsi sufficiant, ut Judex secundum eas pronuntiet, nisi jurate sint; multa etiam interveniant, quæ consistant in solo animo: recurritur maxime in judiciis ad juramentum, quod ejus religio merito censeri debeat, cohibere hominem à falso per jusjurandum firmando, ingenti omnino irreverentiâ in divinam Majestatem, cum tanquam

testis falsi allegatur. De hoc agitur præfenti titulo.

#### ARTICULUS I.

*Quid, & quotuplex sit juramentum?*

**J**uramentum est fidei signum firmissimum, conjunctum Dei testimonio, cum jurantes, in re dubia, testem Deum invocent; definitur ab aliis sic: *est actus, quo divinum nomen, fidei faciendæ causâ, adhibemus*; ab aliis in hunc modum: *juramentum est attestatio divini Numinis: seu invocatio divini testimonii ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam*; attestatio enim est invocatio, qua Deus adducitur in testem: à P. Thoma Sanchez l. 3. in Decalog. c. 1. n. 1. definitur: *invocatio divini nominis in testimonium*. Differt ab oratione: quia hæc est invocatio